tractan Census et utilitates omnes ex bonis earum venientes percipien ipsas pupillas ad annos usq. ultimæ ætatis educandi, et tandem honeste elocandi. Ita tamen ut posteaquam eædem pupillæ ad annos ætatis suæ pervenerint, maritisq. elocatæ fuerint eis de omnibus bonis bonorumq. emolumentis rationem sufficientem reddere teneantur iure consanguineorum salvo si qui præ eisdem Turosio Iwaskone et Christophero reperti fuerint propinquiores. In cuius rei &c.

Mandatum ad senior. Armenos

Sigismundus &c.

Honoratis Advocato et Senioribus Armenis Civitatis nræ Leopolien. Fid. nobis dilectis gratiam nram Regiam. Honorati Fid. nobis dilecti. Intelleximus quasdam domesticas differentias intercedere uxori relictæ Famati olim Gregorij Jakubowicz cum filiabus ipsius ex eodem Gregorio procreatis in ijs si alterutra partium ope Fid. vrarum indigerit. Mandamus eisdem ut de illis inter easdem partes vel amice componant vel Judicium de plano tanquam in causa pupillari exerceant atq. administrent illudq. diligenter provideant ne partes præfatæ aliquis utrinq. expensis et pupillis sumptibus non necessariis et litium anfractibus onerentur. Facturi Fid. Vræ rem officio suo convenientem et gratia nostra dignam. Datum &c.

Mandatum ad Ius utrunq. Crac.

Sigismundus &c.

Spectabilibus et Honoratis Advocatis et Scabinis tam Iuris Supremi Maideburg. Castri nri Crac. quam Judicij inferioris Civitatis nræ Crac. Fid. nobis dilectis gratiam nram Regiam. Spectabiles et Honorati Fid. nobis dilecti. Intelleximus inter Fid. Vras quasdam dissensiones propter innovatum processum appellationum antiquitus in illa civitate observat. esse exortas, ita ut utrinq. plebiscita quædam de quibus homines litigantes conqueruntur interceserint. quoniam autem propter nram Crac. absentiam complanandis hisce differentijs vacare non possumus ea vero res si ita diutius duraverit non exiguam hominibus litigantibus difficultatem allatura esse videtur. Ideo Fid. Vris seriò mandamus ut in utroq. Judicio tam inferiori quam Iuris Supremi in admittendis et remittendis protestationibus et appellationibus idem mos et processus servetur qui hucusq. ante istas Fid. Vrarum novas ordinationes servatus fuit donec de eisdem Fid. Vrarum ordinationibus Judicium fecerimus. Si aliqua partium ex Fid. Vris de altera quod conqueratur habuerit id præmissa ultima citatione iudicialiter faciat. nos vero de omnibus Fid. Vrarum differentijs quod iuris et iustitiæ ratio postulaverit statuemus et decernemus. Pro gratia